

SECUNDUM

hoc autem dicebat temptans eum · ipse enim sciebat quid esset facturus · respondit ei philippus · ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis · ut unusquisque modicum quid accipiat · dicit ei unus ex discipulis eius · andreas · frater simonis petri · est puer unus hic · qui habet quinque panes ordeacios & duos pisces · sed haec quid sunt inter tantos · dixit ergo ihs · facite homines discumbere · erat autem fenum multum in loco · discubuerunt ergo uiri · numero quasi quinque milia · accepit ergo panes ihs · & cum gratias egisset distribuit discumbentibus · similiter & ex piscibus quantum uolebant · ut autem impleti sunt dixit discipulis suis · colligite quae superauerunt fragmenta ne pereant · collegerunt ergo · & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum · ex quinque panibus ordeacis · quae superfuerunt his qui manducauerant ·

Illi ergo homines cum uidissent quod fecerat signum · dicebant · quia hic est uere propheta · qui uenturus est in mundum · Ihs ergo cum cognouisset · quia uenturi essent ut raperent eum · & facerent eum regem ·

Fugit iterum in montem ipse solus · ut autem sero factum est · descenderunt discipuli eius ad mare · & cum ascendissent nauem · uenerunt trans mare in capharnaum · & tenebrae iam